

*ab Ufenbach. de Judiciis Imper. Aulico. Cap. XXIV. Sect. 2. Quoad Saxonica Ord. Proc. Elect. Sax. T. XLIX. ibique Commentatores.*

*An domino beneficium competentia competat?*

XXV. Cum vasallus domino alimenta in casu necessitatis suppeditare teneatur, nulli dubitamus, quin etiam beneficium competentia huic sit concedendum. *Ludw. Cap. f. p. 423.*

## CAPUT XXVI.

DE

## FEUDO FRANCO DISSERTATIO.

I.

*Feudi Franci vox in Jure Feudali non reperitur.*

**F**eudi Franci, de quo apud Commentatores frequens disputatio est, nullibi in feudorum Consuetudinibus, si nomen spectes, mentionem fieri constat. *Sonsbeck ad Us. Feud. p. 3. num. 25. Curt. de Feud. p. 1. q. 8. num. 27.* Res tamen ipsa analogia Juris feudalis haud adversatur, quin imo *inc. Si cui miles. verbis: cum feudum sic datum est, ut nullum pro eo servitium fiat. II. F. 104.* satis perspicue exhibetur. *Hunn. Tract. Feud. c. 6.*

*Sedes rei II. F. 104.*

II. Equidem nos non fugit, hoc capitulum ex eorum classe esse, quae vulgo *Extraordinaria* audiunt, quaeque *Antonius Mericutus*, eo quod autoritas illorum suo jam tempore dubia esset, *Extravagantes* vocavit. *Maurit. Dec. I. Controv. Feud. pos. ult.* Sed hoc non obstare putamus, quo minus hac in causa allegari possit. Etsi enim haec Capitula, quando Ordinariis directo contrariantur, parum, vel nihil ponderis habent: testimonium tamen illorum, si vel ad explicationem Juris Feudalis faciunt, vel casum proponunt alibi non decisum, neutiquam est rejiciendum. *Hartm. Pistor. L. 2. qu. 13. num. 89. & L. 2. q. 34. num. 33. Magn. Dn. Synt. Saxon. Jur. Feud. c. 1. apb. 7. n. 10.*

III.